



**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

7. De Apparitione. Spiritus Sancti sub triplici specie: columbæ, nubus,  
ignus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

Hæc expendens, quis non obfuscatur tantam Spiritus sancti sic nos illustrantis, sic impellentis sedulitatem? quis non totus ex ardore et amore tam benigni Paracleti, tam amabilis Sponsi, & zelo eius inspirationes, impulsusque sollicitè sequendi; exclametq; cum Sponsâ: *Surge Aquilo, et veni Auster, perfla hortum meum, ut fluant aroma-  
ta illius?* Affectus ijdem.

Cant. 4.

*De apparitione Spiritus sancti, sub tri-  
plici specie: Columbae, Nubis,  
Ignis.*

VII.

I. **S**piritus sanctus voluit in nouo Testamento apparere, & Christo testimonium perhibere in specie columbae in Baptismo eius, ad denotandas eximias virtutes, quas nos cupid in Christo emulari, quasque ipse nobis paratus est instillare, cuiusmodi sunt, eximia innocentia, simplicitas, puritas, mansuetudo, compunctione, compassio, quæ per proprietates columbae adumbrantur.

Quam miris & suauibus modis Spiritus sanctus Apostolos, Electosque reliquos, ductum suum sequentes, ad columbinam simplicitatem, Angelicam puritatem, heroicamque inordinata-

Cc 7 rum

190 Meditationum

xum passionum victoriam perducere  
consuevit? Vis & in te hoc ipsum lu-  
culentius experiri, ne pigeat te eius  
instinctus sequi. Amor, zelus sequen-  
di ductum Spiritus sancti in studio  
maioris animæ puritatis.

II. In transfiguratione Domini appa-  
*Matt. 17.* ruit idem Spiritus sanctus in specie lu-  
cidæ nubis ad indicandos effectus,  
quos in viris Apostolicis esset editu-  
rus, peculiari gratia sua sic eos à terre-  
nis eleuando, sic illuminando, sic fe-  
cundando, sic impellendo, ut instar le-  
uium, lucidarum, fœcundarū nubium  
mundum vniuersum percurrent, ful-  
gore vitæ & doctrinæ suæ illumina-  
rent, irrigarent, atque ad proferendos  
veros pœnitentiæ, omniumque virtu-  
tum fructus fœcundarent.

Quam eximiè id præstitere Apo-  
stoli, & viri Apostolici, qui iuxta im-  
palsum Spiritus sancti longè lateque  
Euangelium disseminarunt, quos me-  
ritò homines & Angeli admiraren-  
tur: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?*  
*In omnem terram exiuit sonus eorum.*  
Quin & tu illos, pro modulo tuo,  
æmularis in zelo propriæ perfectio-  
nis, & gloriae Dei, & salutis anima-  
rum?

III. De-

*Isa. 60.*

*Psal. 4.*

III. Demum in Pentecoste in linguis igneis apparere dignatus est, ad significandos præcipuos affectus, quos in Apostolis, virisque Apostolicæ perfectionis studiosis operaturus esset, inflammando eos amore Dei, & proximi, zelo diuinæ gloriæ, & salutis animarum propagandæ, simulque ijs impertiendo gratiam miraculorum, notitiam omnium linguarum, diuinam eloquentiam, & sapientiam necessariam ad mundi conuersionem.

Quàm abundè hos effectus edidit in cordibus Apostolorum, totq; aliorum Apostolicum spiritum æmulantium, quorum omnia dicta, facta, motes, gestusque omnes ignem spirare, ignitasq; linguas referre videbantur! O quàm potens est ille ignis Spiritus sancti, qui in momento totum hominem in se transformat! Zelus proficiendi in amore Dei, & proximi.

In Festo SS. Trinitatis.

Domin.

De amore SS. Trinitatis erga

Trinit.

quemvis Electum.

I.

Ex medit.

I. Deus unus in essentia, & trinus de amore in personis, in seipso infinitè spirituali beatus, se infinitè comprehendens, in S. Ignatij finitè p. I.